SPECIMEN RERUM PHILOSOPHICARUM

QUAS

SUB AUSPICIIS

Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini

D. JOANNIS DE VITA

EPISCOPI REATINI

IN PUBLICA DISPUTATIONE

A JOSEPHO FIORDIPONTI REATINO PRESBYTERO

MODERANDA

SANCTES MARCOTULLI

REATINI SEMINARII ALUMNUS, AC PHILOSOPHIÆ AUDITOR

EXPLICABIT

Facta cuique post tertium contradicendi facultate.



REATE A. R. S. MDCCLXIX.

Excudebat Gaspar Orsinus)(*Superiorum Permissu.*

Apes quodammodo debemus imitari, quæ vagantur, & flores carpunt: deinde quicquid attulere, disponunt, ac per favos dividunt; & succum varium in unum saporem mistura quadam, & proprietate spiritus sui mutant. Nos quoque quicquid diversa lectione quæsivimus, committemus stylo; ut in ordinem eodem digerente coalescat. Nam & in animo melius distincta servantur, & ipsa distinctio, non sine quodam fermento, quo conditur universitas, in unius saporis usum varia libamenta confundit; ut etiamsi quid adparuerit unde sumptum sit, aliud tamen esse, quam unde sumptum noscetur, adpareat. Macrob. Saturnal. lib. 1.



De utilitate Philosophiæ.



PHilosophiam non inanium verborum, ac subtilitatum, ut quidam parum considerate loquuntur, sed maximarum rerum artem esse, atque *donum*, ut Plato, *Dei inventum*, ut Tullius (a) facile quidem poterit vel in ipso ejus limine judicari. Quid enim *aliud est Philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiæ? sapientia autem est, ut a veteribus Philosophis definitum est, rerum divinarum, & humanarum, caussarumque, quibus hæ res continentur, scientia; cujus studium qui vituperat, haud sane intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet* (b) Ea enim *nos primum ad Dei cultum, deinde ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudivit, eademque ab animo, tamquam ab oculis, caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videremus.* (c) Maxima igitur utilitas in philosophicis rebus inest, quam quum excellentis ingenii homines animo præcepissent, omnem sibi in Philosophiam operam conferendam rati sunt, & reipsa ceteris omissis contulerunt. Non omnes tamen (quod est in hoc genere molestum) omnium laudabiles, quin multorum in successu pestiferi conatus extiterunt. Declarant id quidem errores, quibus & veterum, & recentiorum quorumdam libri referti sunt.

De præci-

(a) Tuscul. Disput, lib, I. (b) Cic. de Off, lib, II. (c) Idem Tuscul. Disput. lib. I.

De præcipuis errorum caussis.

Jam id inquirere alienum non ducimus, unde hæc varietas successuum petenda sit; & ipsi enim ad sapientiæ studium contendimus; sunt autem cognoscenda scientiarum iter suscipientibus illa maxime, ut declinentur, quæ incautos alios deceperunt. Varios Philosophi enumerant errorum fontes: errant siquidem homines, quum falsæ rei, vel non satis cognitæ assentiuntur, mentisque attentionem ad ea non adhibent, quæ sensibus perceperunt; quum suis viribus præfidunt, vel contra sui ingenii immemores omnino aliis succumbunt; denique autem *quum in pecuniæ, bonorum, gloriæ cupiditatem inciderint* (a). Sed omnes omnium errorum caussas contemptio una complexa est rectæ philosophandi rationis, quam negligi oportet, si labantur; quum labi nequeant, qui ducem illam persequuntur. Ad hanc igitur universim referremus turpem illum quorumdam in doctrinæ studiis successum, quem effugere qui volet [omnes autem velle debent; *falli* enim, *errare*, *labi*, *decipi tam dedecet*, *quam delirare*, *&* *mente esse captum* (b)] rectam primùm sibi studeat philosophandi rationem comparare.

De Recta Philosophandi Ratione

HÆc est autem recta philosophandi ratio, seu una via, qua sit in veri inquisitione, atque investigatione incedendum; ut claram, distinctamque ideam rerum tibi facias; ut nequid pecces in definitionibus, ac divisionibus construendis; ut nulla in tuis judiciis, ac ratiociniis diligentia desideretur; neve ad illa pergas, quæ aliorum cognitionem præviam sibi postulant, nisi in his antea fueris eruditus; ad summum, ut omnia omnino Logicæ præcepta teneas, in iisque diu exsercitationem, & consuetudinem cœperis: versatur enim Logica in eo genere, ad quod adhibenda est actio quædam, non solum Mentis agitatio; & ut *nec Medici*, *nec Imperatores*

(a) Cic. De Off. lib. I. (b) Idem De Off. lib. II.

ratores, nec Oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu, & exsercitatione consequi possunt, sic Logicæ *praecepta traduntur illa quidem, sed rei magnitudo usum quoque, exsercitationemque desiderat.* (a)

De libertate Philosophandi.

QVI tamen hæc præscripta servare liceat, si id omne ratum absque consilio habendum sit, quod hic, vel ille Philosophus disputavit? Maneat igitur ad verum detegendum alios quidem Philosophos consulendos, nedum proprio, ut ajunt, marte laborandum: *Qui nihil enim admittere, suosque in usus convertere vellet, nisi quod propria primum industria detexerit, is æque quidem absone ageret, ac qui nec vestimentis, nec calceis, neque ædibus, nec pane denique ipso uti prius, fruique vellet, quam hæc omnia conficiendi, præparandique artem proprio, ut ajunt, marte, atque sine aliorum institutione invenire didicisset* (b): Sed numquam omnino committendum, ut suum quis desinat judicium adhibere, quemadmodum de Pythagoricis accepimus, *quos ferunt, siquid adfirmarent in disputando, quum ex iis quæreretur, quare ita esset, respondere solitos. Ipse dixit. Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas* (c). Quamobrem ad nullam disciplinam tamquam ad saxum adhærendum; quum autem præcepta a Philosophis invenerimus, quæ vera esse non statim luceat, tandiu dubitatione utendum est, quandiu rationis momenta perspexerimus: quod tamen cavendum, ne & de revelatis a Deo intelligatur; nam ipsa Divina Auctoritas firmissima est ratio, cui abjecta omni cunctatione cum stabili, certaque non labendi umquam sententia assentiendum. Sed de ratione philosophandi hæc quidem hactenus.

(a) Cic. De Off. lib. 1. (b) Holman. in Philos. rat. pag. 354. (c) Cic. De nat. Deor. lib. 1.

De Primis Veritatibus, quibus reliquae confirmantur.

SEquitur, ut philosophemur, in eas primum veritates principes inquirendo, quibus reliquae cum *necessariae*, tum *contingentes indirecte*, ut ajunt, confirmentur. *Eam experimur Mentis nostrae naturam, ut dum judicat aliquid esse, simul judicare nequeat idem non esse* (a). Sua igitur cujusque experientia verum id esse perspicuum est, *fieri* nimirum *non posse, ut idem simul sit, & non sit*; tum qui aliquid negans, se in aliud quidquam vero illi appositum incidisse, animadvertet, ultro eum, si sana mente sit, ab illa sententia discessurum. Sed qui veritates eripit necessarias, quae cum legitima rerum forma junctae sunt, is quidem aliquid videtur instituere, quod vero illi immutabili contradicat. En igitur in promptu verum ad necessarias veritates confirmandas; quod ad genus tamen aliarum non patet: *Veritates* enim *de exsistentia rerum finitarum omnium sunt ejusmodi, ut ostendi non possit, siquis illas aliter concipiat, impigere illum in contradictionem* (b). Quamobrem verum aliud quaerendum est, quo veritates ejusmodi vindicentur; Inventum autem jam erit, si cum praemissum pro veritatibus necessariis, tum quod sibi videntur postulare, qui contingentes non probant, attendamus; Quid enim ii postulare aliud videntur, quam ut concedatur, fieri aliquid posse sine ratione, quam *sufficientem* in scholis adpellamus? Exsistit autem ex praemisso illo vero: *Nihil esse sine ratione sufficienti, cur potius, sit, quam non sit, & cur hoc potius, quam alio modo sit*. Hoc est igitur verum, quo posterioris generis veritates innituntur, sed habet maximam cautionem; videndum est enim, ne dicamus, voluntatem adferri non posse tamquam rationem sufficientem actionum caussae liberae, eamdemque in duobus aeque bonis constitutam vel debere utrumque, vel neutrum posse eligere; ut arbitrantur Leibnitiani, quorum sententiam qui defendunt, si sibi consentanei esse velint, id concedant etiam necesse est, rationem, qua Deus hunc e possibilibus potius, quam alium Mundum condiderit, di-

vinae

(a) Wolf. in Ont. (b) Bilfingerus In Dilucidat. p. 62.

vinæ voluntatis Beneplacitum non fuisse, sed *optimismum*, quem vocant, quia hic Mundus est optimus, ut melior alter fieri nequèat, quod dici tamen sine maxima, eaque viro sapienti indigna temeritate non potest. Ac de primis quidem veritatibus satis dictum est.

De utilitate Quæstionis, quæ vertitur in Anima Hominis.

DE aliis modo ad illas referendis explicandum. Sed sunt hæ propemodum infinitæ, ut una comprehendi disputatione non possint. Quum earumdem igitur sint delectus habendi quas ad nostram utilitatem aptius deligemus, quam quæ nostrum, id est nostræ Animæ cognitionem attingunt? Quippe ex neglecta hujusmodi cognitione innumerabilia peccata nascuntur omnia, & sine aliis eadem satis vim habet, nihil tamen sine ipsa aliæ conferunt ad bene, beateque vivendum. Nam quæ tibi malùm utilitas ad beatam vitam, si stellas dinumerare, aut metiri Mundi magnitudinem sciens, quid Anima tua sit, qui finis ejus creationis, quæ ei constituta officia, non attendas; sed tamquam ii, qui sunt ex pecudum genere (*sunt enim quidam homines non re, sed nomine* (a)) luxuria diffluas, turberis metu, cupiditate rapiaris? Deinceps igitur de una quæstione Animæ Hominis disserendum, ita tamen, ut quæ de prima Caussa eidem finitima deprehenduntur, de iis etiam breviter disputetur.

De Natura Animæ Hominis.

QUum se quisque ipsum, idest suam Animam contuetur, ut se quisque noscat (nec enim quum dicitur; *nosce teipsum*, præcipitur, *ut membra nostra, aut staturam, figuram ve noscamus*; *neque*

(a) Cic. De Off, Lib, 1.

neque nos Corpora sumus; neque ego tibi hæc dicens Corpori tuo dico (a)), ejusmodi in seipso inesse vires animadvertet; ut quæ adspectu sentiuntur, tum quæ a materia secreta sunt, videat; in iis autem percipiendis agnoscat etiam se percipere; ut *consequentias*, *& caussas rerum cernat*, *earumque progressus*, *& quasi antecessiones non ignoret* (b), *similitudines transferat*, *disjuncta conjungat*, *& cum præsentibus futura copulet* (c). Nequit autem perspici hoc virium genus, quin ultro eluceat, non posse illud Corpori, quamquam hoc ex simplicibus conflatum fingitur, conveniire. Primo igitur suæ Animæ intuitu de ejus natura quid cuique sentiendum sit adparet, simplicem scilicet illam esse, *nihil habere in se quidquam admixtum*, *dispar sui*, *atque dissimile*, *& non posse eam dividi*; *quod si non possit*, *non posse interire* (d). Sed est illa *entis simplicis* distributio, ut aliud *necessarium* sit, aliud *contingens*; esse autem Hominis Animam contigentem quis non videt? Nam quum necessarium oporteat esse *infinitum*, idest *actu habere*, *simulque omnia quæcumque habere potest*; contingens omne est, quod finitum, ut Anima Hominis, intelligitur; nec enim Hominibus ea vis inest, ut perspiciant quidquid in re quaque verissimum sit, atque ita rationem celerrime, & acutissime videant, ut uno obtutu non divisa intelligendi actione contueantur.

De Ortu Animæ Hominis.

Oritur ergo Anima Hominis, quum necessario non extet, nec quidem *per traducem*, ut ajunt, propagata, sed e nihilo educta; *quum in ea nihil sit mixtum*, *atque concretum*, *aut quod ex terra natum*, *atque fictum esse videatur*, *nihil ne aut humidum quidem*, *aut flabile*, *aut igneum* (e). Non omnes autem omnium Hominum Animæ in prima ipsa rerum origine creatæ sunt, in Cœlo nimirum, ut quibusdam veteribus, vel in Corporum *rudimentis*, intus in Adæ Corpore collocatæ, ut Leibnitio, Wolfio, alisque recentioribus nonnullis visum est: Nihil enim dubitationis

hic locus

(a) Cic. Tuscul. Disput. lib. 1. (b) idem De Off. lib. 1. (c) idem lib. II. De Fin. (d) idem De Senectute. (e) idem De Consolat. Tuscul. Disput. lib. 1.

hic locus habet, quin creentur Animæ in dies; ac tot illæ quidem, quot varia in dies humana Corpora generantur: fœdissima est enim, quam ex Anglis quidam ausus est restituere, (a) vetus illa opinio, *Metempsycoseos* quæ dicitur, atque his versibus descripta legitur ab Ovidio, qui Pythagoram loquentem sic inducit. (b)

O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid styga, quid tenebras, & nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsique pericula Mundi?
Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis.
Morte carent Animæ, semperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptæ.
Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram . . . .
. . . .
Omnia mutantur, nihil interit. Errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster, nec tempore deperit ullo.

Hactenus Poeta

De Deo, & Immortalitate Animæ relativa.

A Nulla autem omnino caussa creantur Animæ, quam a Deo æterno, immutabili, simplicissimo, æquissimo, sapientissimo, omnique prædito attributorum genere, quæ splendorem, & decus, & majestatem, & perfectionem important: Tale enim, nec aliud, quod consueto, proprioque nomine vocamus Deum, *ens necessarium* esse potest. Deus autem illas non suæ naturæ necessitate creat, sed libertate plenissima, ob eam quidem caussam, ut Ipsum homines agnoscant, suosque mores cum divina studeant voluntate componere. Inest igitur in Deo facultas, qua, si velit, Homi-

(a) Lib, qui Inscribitur. lux Orientalis. (b) Metamorphos. lib. XV.

lit, Hominum Animas destruat. Sed tantum abest, ut velit illa Deus uti facultate, ut præmia recte factis, peccatis autem supplicia post mortem corporis præparaverit. *Quis enim Deum non prænoverit Procuratorem esse rerum humanarum, atque adeo Hominum Rectorem, & Judicem? Quod si Judex Hominum, & Rector Deus est, si etiam alio modo intelligi non potest, nisi summa sapientia justitia, & potestate præditus; fit, ut & præmia virtutibus parata habeat, & supplicia vitiis. Nec enim ulla Respublica, quod Solon verissime dixit, nisi duabus rebus contineri potest præmio, & pæna.* (a) Adcedit etiam, quod hæc de præmiis & pœnis sententia omnium gentium communis est, atque ita antiqua, ut ejus inveniri auctor, & origo nequeat: quod nisi eam cognitam, comprehensamque animis haberemus, *non tam stabilis permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis inveterare potuisset..... opinionum enim commenta delet dies, judicia naturæ confirmat.* (b)

Habet igitur honestum, seu quod Divinæ est Voluntati, nostræque Animæ naturæ consentaneum, atque unum adeo in nostras actiones ordinem constantiam, & pulchritudinem confert, rationes omnes, quæcumque valeant nostram ad sese voluntatem adlicere. Nam intelligi sic oportet, nostrum Animum, *qui ut vitis erratico serpens lapsu viminibus obstringi nequit*, (c) rationibus ad agendum obligari. Ex eo igitur, ac de Anima hactenus disputatis exsistat, nostrisque etiam mentibus inscribatur; *nihil hominem, nisi quod honestum, decorumque sit, admirari, aut optare, aut expetere oportere, nullique neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ succumbere.* (d)

F I N I S.



(a) Cic. lib. II. De nat. Deor. (b) Idem lib. II. De nat. Deor. (c) Baumeisterus In Phil. mor. c. II. (d) Cic. De Off. lib. I.